



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm IX. Quia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

tantum ad modum, ne fiat disponendo in tempus mortis, seu post mortem, in quo finita est administratio Clerici, seu jus disponendi ejus, *argum. L. cum qui 13. ff. de juris dictione.* ubi dicitur, quod iudex ordinarius non possit delegare, seu jubere alteri, ut iudicet eo die, in quo finitum erit officium illius. Ita annotavit *Imola hic. n. 5.* ubi ait, discrimen id esse inter dominum rei, & administratorem, quod ille dominium absolutum, & de rebus disponendi independentem habeat potestatem; at verò officium administrationis limitatum est, ac dependens, ut ultra vitam tempus effectum producere non possit.

Corollarium. Consilium & cautio est, si v. g. Abbas aut Rector Ecclesie intelligat, quod aliquis beneficiarius relinquere velit mortuus suae Ecclesie, ut suadeat illi facere donationem absolutam inter vivos, & tam donatam tradat; nam hoc casu non facile poterit donatio impugnari, dummodo instrumento authentico, vel duobus testibus firmata sit.

## CAPITVLVM IX.

Quia.

## PARAPHRASIS.

Tamen Clerici de his, quae ex paterna successione, vel cognationis iure, aut artificio suo, vel donatione consanguineorum & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, ad ipsos pervenerunt, liberè mortis causâ disponere possint, de ijs tamen, quae consideratione Ecclesie perceperunt, nullum de iure facere possunt testamentum.

## SUMMARIUM.

De quibus bonis Clerici testari possint.

Notandum. Clerici de bonis non profectiis ab Ecclesia, liberè disponere possunt, seu inter vivos, seu mortis causâ, non autem de ijs bonis, quae ex Ecclesiasticis titulis perceperunt, aut quae ipsis Ecclesie in iura donata, aut relicta sunt.

Coroll. Cùm Clericis libera disponendi facultas data sit de ijs, quae industria acquisiverunt, valde probabilis est sententia multorum, quam etiam *Imola hic* tenet in *suo cap.* quae Clerico pro Missis v. g. celebrandis donantur, tanquam vitae stipendia; item beneficiales redditus, quatenus iustum stipendium non excedunt, absoluto iure ad beneficiarium spectare, ut liberè disponere possit. Sicuti ex communi docui *lib. 4. tra. 2. c. 3. n. 2.* Veruntamen per consuetudinem, per quam jus constitui potest, in pluribus Ecclesijs contrarium introductum est, ut, tamen constet, bona, quae beneficiarius reliquit, non ex reddituum Ecclesiasticorum abundantia, sed per parsimoniam ejus, ac veluti industriam acquisita fuisse, haeredibus, seu ab intestato, seu ex testamento non permittantur, sed Ecclesie applicentur.

## CAPITVLVM X.

Cùm esses.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Hostiensis Alexandro III. proposuit consuetudinem vigere in diocesi sua, ut testamenta, nisi septem, aut quinque testium subscriptionem habeant, penitus rescindantur, sicuti lege Caesarea decretum est: ad hoc respondet Papa, quia id à divina Lege, & SS. Patrum institutis, & generali Ecclesie consuetudine, alienum est, eò quod scriptum sit in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, se improbare consuetudinem illam, & decernere, ut testamenta, quae parochiani coram paroco suo, & tribus, vel duabus alijs idoneis personis per modum ultimae Voluntatis fecerint, firma permanent, sub anathematis comminatione prohibens, ne quisquam talia testamenta rescindere audeat.



SI

SUM-